

KILIANVS OELER IVRECONSULTES MOGVN-  
tinensis



**C**hilianus apud Belgas natus est anno circiter millesimo quingentesimo quinto . Hic post prima artium fundamenta percepta , sese hinc inde ad Academias contulit , atq; Iurisprudentie diligentem operam nauauit . Itaq; factum ut Legum Doctor creatus fuerit . Huic eruditioni raram prudenciam & naturalem facundiam coniunxerat . Id cum Archipræful Moguntinus intellectisset , eum libera stipendio proposito ad se uocauit , atq; inter suos consiliarios recepit . Eam functionē Chilianus summa animi moderatione suscepit , atq; res sibi cōmissas magna dexteritate perfecit . Itaq; hac ratiōe per gens sibi magnum nomen comparauit . Quin & etiamnum æquitatem promouere contendit , atq; Moguntiæ ueneranda canitie agnoscitur . Anon .